



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*INTER AUGUSTISSIMA* **TEMPLUM CATHEDRALE**
DIOECESIS MAZARIENSIS

AD HONOREM BASILICARUM MINORUM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter augustissima Siciliae Insulae tempia cathedrale illud annumerandum est, quod, antiquitate venerabile, arte pulcherrimum, religione sanctissimum, Mazarae surgit, Domini Nostri Iesu Christi Transfigurationi sacrum: mole enim, elegantia, monumentis, Reliquis longe praestans, praestantius faciunt intemerata christifidelium fides ac sancta religio. Quare, cum Venerabilis Frater Constantinus Trapani, Episcopus Mazariensis, iam ab hic Apostolica Sede suo suorumque cleri ac fidelium nomine petierit ut sacra illa aedes ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, Nos, tum ad ipsius templi laudes respicientes, tum ad fidelium pietatem, quam per hoc ali et accresci confidimus, tum ad Christi Salvatoris gloriam, quae inde manabit, admotae expostulationi libenti animo concedimus. Iis ergo probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis facultatibus, hic de re statuit, templum cathedrale Mazariense, Transfigurationi D.N.I.C. dicatum, Basilicis Minoribus auctoritate Nostra accensemus, datis nempe iuribus quae ad tempia huiusmodi pertinent, cum Liturgicis concessionibus rite competentibus, modo ea servita sint, quae per Decretum «De Titulo Basilicae Minoris» poscit, die VI mensis Iunii, anno MDCCCCLXVIII factum. Contraries nihil obstantibus. Quod Dei benignitate et gratia bonum, faustum fortunatumque sit. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Maii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana